

Bibliothèque numérique

medic@

Roze de L'epinoy,
Jean-Baptiste-Adrien - candidat / Le
Begue de Presle, Achille-Guillaume -
président / Poitou, François - auteur. -
An alvi diuturno sluori vomitus ?

1783.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°97***



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ;

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU. Santo
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA*,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ mensis

Novembris, anno Domini M. DCC. LXXXIII.

M^o. ACHILLE-GUILLELMO LE BEGUE DE PRESLE,

Equite & Censore Regio, Doctore Medico, Præsides.

An alvi diuturno fluori vomitus?

I.

DIARRHÆA partium nutritioni inservientium vitia consequitur: à laxa coctione non raro ortum ducit: interdum à relaxatis ventriculi & intestinorum fibris: sæpe à bilis exundantis copiâ,

* Propugnata, 7 Februarii 1686, à M. Francisco POITOU; M. Michaele PICHONAT Præsides.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

quæ intra proprium conceptaculum, vesiculæ scilicet felleæ & meatûs cholidoci cavitatem contineri nequit. Illa si quidem acri ejusmodi succo, & ad nutriendum inepto, frequenter onerata & sollicitata, hunc etiam frequentè in ventrem expuit. Sæpè etiam à plurimâ illuvie serosa è visceribus & mesenterio in intestina depluente alvi fluor proficiscitur. Hinc excrementa liquidius effluere sinunt. Quin etiam crassiori bile, viscidâque ac multâ pituitâ obfessæ mesenterii venæ, tum chyli anadosim, tum etiam bilis quotidianum effluxum impediunt, undè aliquandiù suppressi & simul confusi isti humores postea è mesenterio in intestina refluent, & per sedem crebrò exonerantur.

I I.

VENTER, velut oceanus, omnibus corporis partibus dat, ab omnibus accipit; & ubi vacuatur, rursus humor retrò redditur, quemadmodum acceperat ex aliis vasis in vas. Hinc diarrhæa, læsæ coctionis soboles, cæteris affectibus frequentior est; nec à solo ventriculo, sed etiam à cæteris alvinæ regionis partibus originem trahit. Primum quidem succi, à quibus fermentatio & ciborum concoctio excitantur, à naturali statu degeneres fiunt; qui partim acidâ suâ qualitate, partim nimîâ copiâ, ora vasorum ad ventriculum pertinentium distendunt & referant, ex quibus in hujus cavitatem illabuntur, ibique huc illuc à calore agitati membranas feriunt & vellicant. Hinc corpus languet, & diarrhæâ torquetur, si acidus liquor, propter pravam sanguinis temperiem, & vitiosos humores ipsi admixtos, segnis & insulsus adeò evadat, ut cibi diutiùs in ventriculo morantes putrescant; sin autem ustione acrimoniam vel amarorem acquirat, has qualitates tum chylo, tum alvi excrementis imprimit. Insuper in ventriculo congeruntur mucosæ quædam sordes, quæ ipsius tunicis pertinacius adherentes fermentum suffocant coctioni perficiendâ deinceps ineptum. Hinc crassior chylus postmodum subire vasa lactea non potest; nec ampliùs illius particulæ figuram obtinent, propter quam vasorum ad intestina hiantium ostiola perreptare valeant; idèò motu peristaltico protruduntur versus podicem, ac lientericum & chylosum alvi profluvium succedit, cui vomitus multum infensus est.

I I I.

VALIDA vomitûs concussione, natans in ventriculo impuritas, vel ejusdem villis affixa & altiùs recondita, tutò & citò avellitur & ejicitur. Quandiu perseverat vellicatio, aqueus liquor è vasorum lymphaticorum extremis foraminulis exprimitur; atque etiam dum simul cum ventriculo duodenum concutitur & subvertitur, bilis quasi manu compressa è suis latibulis exilit & sursum retrahitur. Ea-

3

dem irritatione, humorēs corrupti è totâ massâ sanguineâ stomachum appellunt. Vomitus ope & beneficio sanguis expurgatus & defæcatus acrem suam qualitatem exuit ac deponit: excrementa suis locis & pristinae naturæ restituuntur; dissolutæ ac laxatæ fibræ jam robur accipiunt, spiritus quoque, qui prius quasi submersi videbantur, jam vegeti & alacres superflui humoris reliquias resolvunt & dissipant.

I V.

NATURÆ injuriam facit, quisquis vomitum ipsius instituto & legibus contrarium esse affirmat. Hæc salutari excretionem non modò febres, sed etiâ alios morbos sponte per sanat; eo fine vias breves & expeditas in ventriculum, & magis quàm in alvum directas, natura fabrefecit; per quas è vicinis locis materia morbum committens expelleretur. Vomitus vel est universalis, qui non modò è ventriculo, sed etiâ è visceribus ipsis & venis atque ex universo corpore noxios humores à nativo calore subactos atque edomitos utilissimè expellit: Vel particularis, qui solum ventriculum expurgat, quo vetustissimi Ægyptii tribus diebus continuis, quovis mense, utebantur. Universalis longis morbis confert, ut elleborus albus quartanæ feбри: hujus enim medicamenti vis divellit humoresque partibus insidentes excutit. Nec tantum solius vacationis, sed etiâ revulsionis gratiâ vomitus celebratur. Hinc in dolore lumborum prægrandi & largâ dejectione, ab elleboro vomere spumantia multum prodest: idcirco ischiadios magis juvat supera quàm infera purgatio.

V.

MOCHLICI usus & administratio magnam prudentiam & multas cautiones in Medico requirit. In quibusdam adè laxus est ventriculus & infirmum pectus, ut ab emetico vires statim exolvantur: aliis non facillè primum cietur vomitus, sed ubi simul inceperit, difficillimè sedatur. Cum fervida & sicca viscerum intemperies alvi fluxum fovet, validissimo medicamento nihil perniciosius: blandiori cathartico res peragi debet, ut cassiâ cum rheo aut confectione universali, quibus diarrhæa plerumque cedit, post venæ sectionis cum ratione repetitæ & refrigerantium usum. Sin autem in ventris secessibus nimis diù cespitans humor blandiorum vim hætenus eluserit, emetico tandem excludi debet, modò nulla dispositio inflammatoria, nullum *надъма* sub cineribus intus lateat. Illud humorem noxium è suis sedibus facillè elicit, quod cætera cathartica deturbare non possunt. Antiquas jecoris, lienis, pancreatis & mesenterii obstructions validâ concussionem solvit, atque etiâ humoris in inferam alvum ruentis cursum sic revo-

eat, ut mutatâ velificatione in superas partes revellatur & ore rejiciatur; naturæ ipsius ductu & exemplo, quæ, si vomitus suâ sponte successerit, diuturnâ diarrhæâ ægrum liberat.

Ergò alvi diuturno fluori vomitus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Josephus COTTON.

M. Theobaldus NIZON, Chirurgiæ Vernaculo Idiomatico Professor.

M. Petrus POISSONNIER, Eques, Regis in Sacro Consistorio Consiliarius, Regi à Consiliis Medicis, in Regiis Arcibus Maritimis & Colonniis totius Medicinæ Præfectus, à Regiâ Scientiarum Academiâ Parisiensi, necnon Brestensis, Divionensis, Londinensis, Matritensis, Stokolmiensis & Petropolitana Socius, Professor, & Censor Regius.

M. Joannes-Henricus BAGET, Chirurgiæ Latino Idiomatico Professor designatus.

M. Carolus-Ludov. VARNIER.

M. Franciscus BERNARD.

M. Carolus-Jacob. SAILLANT,

M. Jacobus - Franciscus DE VILLIERS, antiquus Regis Exercituum Medicus ordinarius in Germaniâ.

M. Carolus-Ludovicus LEGER, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in Urbe & Comitatu Altiſſiodorensi.

Præponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA-ADRIANUS ROZE DE L'EPINOY, Nemorosinus Senonensis, Doctor Medicus Remensis, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1783.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

BIU Santé
Médecine
Paris

Typis QUILLAV, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1783.